

Baro.
Vaulx.
Higham Ferrers.
Mat. Par.
ker.
Oundale.
Barnwell.
Fotheringhay.
Cecilia Ebora-
censis Du-
cissa.

Vaulx præfectorum Guinarum in Picardia Baronem creavit Rex Henricus Octavus.

Aufona hinc adit Higham Ferrariorum quondam oppidum, à quibus Higham Ferrers est denominatum, qui & suum hic habuere castrum, cuius ruina prope ecclesiam cernuntur. Verum eximium hujus loci ornamentum erat Henricus Chicheley Archiepiscopus Cantuariensis, qui hic pulchrum Collegium, in quo clericos seculares, & Præbendarios collocavit, & simul hospitale pauperibus domum extruxit. Inde Addington olim Verorum, & Thorpston, vulgo Thrapston alluit, huicque oppositum Draiton ædes superiori seculo H. Green, postea per filiam ejus Ioannis & Edwardi Stafford Comitum Wiltoniæ, nunc vero Baronis Mordaunt, ad quem à Greenis maximi nominis in hoc agro nobilibus hæreditario devenit. Inde oppidulum elegans fere circumluit, & denominat, Oundale, corrupte pro Avondale vocant, ubi nihil visendum præter templum per pulchrum, & scholam pueritiae informandæ, cum ptochorophio à VV. Laxton Prætore quondam Londinensi positam. Huic vicinum est Barnwell castellulum, quod nunc novis ædificiis reconcinnavit Edward. de Monteacuto Eques clarissimus, qui ex antiqua Monteacutorum, ut ex insignibus apparet, genus repetit. Possessio olim erat Berengarii Le Moigne, id est Monachi, non ut aliqui autumant Berengarii Turonensis, cuius sententia de Eucharistia olim à P. R. Synodo convocata damnata. Postea Fotheringhay castrum amoenissimum pratis circumsumum salutat, quod Henrico Tertio regnante, cum munitissima loca nobiles ad defensionem invitarent, Guilielmus Comes Albemarliæ ex improviso occupavit, & agrum vicinum late devastavit, ut habeat Matthæus Paris. Quo tempore ad Huntingdoniæ Comites spectaculo videatur. Satis longo post intervallo Edwardus Tertius Edmundo de Langley filio Duci Eboracensi quasi in hæreditatem, sive Appennagium (ut vocant) assignavit, qui castrum reædificavit & editissimum munimentum quod vulgo The Keepe in castris vocant, ad instar pedicæ equestris, quæ erat symbolum familiæ Eboracensis, efformavit, Edwardus Dux Eboracensis ejus filius anno secundo Henrici Quinti & Christi M CCCC XV, ut ex barbaris versiculis ibi inscriptis apparet, per pulchram Ecclesiam Collegiatam fundavit, in qua ipse prælio Agincortensi cæsus, ut etiam Richardus Dux Eboracensis ejus è fratre nepos, qui apud Wakeveld occubuit, ejusque uxor Cecilia Nevill magnifica sepulchra habuerunt, quæ simul cum superiori parte ecclesiæ fuere subversa. In eorum tamen memoriam duo monumenta in inferiori parte ecclesiæ quæ supereft R. Elizabetha erigi jussit. Quæ tamen (ea erat curatorum avaritia) tantis principibus qui Regibus nati, & à quibus Anglia Reges prognati, parum digna censentur. Cecilia illa paucis annis quales ludos impotens fortuna (si ita loqui fas sit) ex potentium malis sibi facit, plane perspexit. Vidit enim Richardum maritum regnum jam spe devorantem, cum filio Rutlandiæ Comite, cruento prælio interfectum, paucosque post annos filium natu maximum Edwardum Quartum ad regiam dignitatem evectum, immaturaque morte abre-

Britannia.

ptum, cum fratrem suum Georgium Clarentiæ Ducem prius sustulisset. Deinde alterum filium Rex Ri- Richardum luctuosa nepotum cæde matrisque chardus probro (matrem enim læsa pudicitia publice insimulavit) ad rerum summam grassantem, scepro troque jam potitum, statim prælio trucidatum vidit: miseriæque ita erant concatenatae, ut posterior dies semper priore acerbior illuxerit. Quod alteri potentissimæ Principi Mariæ Scotorum Reginæ hic accidit, malim silentio involvi, quam memorari: auferat oblivio, si potest, si non, utcunque silentium tegat. Sub optimis Principibus sunt qui semel authoritate armati privatis suis consiliis sacrosanctam religionem occultis artibus speciose obtendere norunt; sunt etiam qui religioni, Principis securitati, populi saluti (quæ lex suprema) vere & ex animo consulunt. Nec diffitendum est, ipsos optimos principes, ut navium gubernatores, turbida tempestate quo nolint, aliquando abripi invitos. Quæ autem illi quoad Reges, faciunt, Deo relinquenda, cuius solius in Reges imperium.

Iam Huntingdonenses Aufona attingens pontem pulcherrimum ad VValmesford subterfluens Durobri- D V R O B R I V A S urbem antiquissimam præter- vehitur, quæ Anglo-Saxonice Dormancaster appellata, ut antea diximus, utramque fluminis ripam in utroque Comitatu late occupavit. Caster enim viculus qui mill. pass. à flu. absit, ejus pars videatur ex tessellatis pavimentis ibi repertis, et si ecclesiæ parieti hæc legitur recentior inscriptio,

X V . K L . M A I I D E D I C A T I O H V- I V S E C C L E S I A E M C X X I I I .

Et celebrioris proculdubio fuit nota, tot enim in arvis adjunctis (quos Normanton pro Dormanton fields vocant) Romanorum nummuli eruuntur, ut eorum sementem ibi factam facile quis existimet, duæque hinc militares viæ conspicuis adhuc aggeribus duxerunt, altera Fortyfoote-way à quadraginta pedum latitudine, ad Stan福德iam; altera Longditch, & Highstreet dicta per Lollham-bridges vetustos sane pontes, quorum undecim arcus ævo jam fatiscentes cernuntur, per VVest-Depinge in Comitatum Lincolniensem. In primo harum viarum divortio intersidet editiori situ Vpton, unde & nomen, ubi ædes nitidas cum amoenissimis ambulacris habet Robertus VVingfeld Eques australis ex antiqua VVingfeldorum familia clarissimorum Equitum feracissima. A D V R O B R I V I S Aufona, sive Nen, urbeculam Petribungum in hujus agri angulo adit, ubi in lumine immensa profunditatis fuisse voragini Medeswell dictam, appositumque oppidum, inde Medeswell-bamsted, & Medes-hampsted appellatum tradunt scriptores. Quod, ut apud Rob. de Swapham legitur, in optimo loco erat constructum, qui una ex parte, palude & aquis optimis, in alia sylvis, pratis, & pascuis plurimis bonatur, ex omni parte formosum, & per terram accessibile, præterquam ad Orientalem plagam. Nen fluvius ex Australi parte Burgi præterfluit. In hujus amnis medio locus est quasi vorago tam profundus & frigidus, ut in aestate nullus natantium ejus imæ adire possit; nec tamen in hyeme unquam congelatur. Est enim ibi sons unde ebullit aqua. Hunc locum Medeswell antiqui appellaverunt, donec Wolpherus Rex Merciorum monasterium Petrebor- rough.